

**Dissertatio practico-medica inauguralis, de nephritide ... / Eruditorum
examini submitti Aegidius Sieben.**

Contributors

Sieben, Aegidius.
Lulofs, Johannes, 1711-1768.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Samuelem Luchtmans, et filios, et Eliam Luzac,
juniorem, 1755.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gybq4u66>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under
copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made
available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial
purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO PRÁCTICO-MEDICA
INAUGURALIS,
DE
NEPHRITIDE.
QUAM
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Autoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS LULOF S,
A. L. M. JUR. UTR. ET PHILOS. DOCTORIS, ASTRONOM.
MATHES. ET PHILOSOPHIÆ IN ACADEMIA LUGDU-
NO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARII, FLU-
VIORUM HOLLANDIÆ AC WESTFRISIÆ
INSPECTORIS GENERALIS,

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit

ÆGIDIUS SIEBEN, HARDEROVICO GELRUS.

Ad diem 29. Septembris MDCCCLV. H. L. Q. S.

Apud

LUGDUNI BATAVORUM,
SAMUELEM LUCHTMANS, ET FILIOS,
ELIAM LUZAC, JUNIOREM.
ET
MDCCCLV.

DISSERTATIO PRACTICO-MEDICA
IN AGRICULTURA

DE

И Е П Н Я Т И Д Е

и к у

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А
С ВІДОВІЛІЯ ВІД ПІДІРЖА

D I O H A N N I S L U L O E S

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А
С ВІДОВІЛІЯ ВІД ПІДІРЖА
С ВІДОВІЛІЯ ВІД ПІДІРЖА
С ВІДОВІЛІЯ ВІД ПІДІРЖА

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

Л А М А Г О С Т І О Ф Ф О Р М А

FRATRI CARISSIMO,

BARTHOLOMAEO SIEBEN,

J. U. D.

ET IN ILLUSTRI AMSTELAEDAMENSIMUM

ATHENAEO ANTECESSORI

S A C R U M.

Natura in illa
terram venit, quae fuisse, in quo coe cadr cibis, quo
majori holeri sunt, non satis habere nescit. Hinc, saeculo Me-
di, in pueris in tempore festi periculi, omnes quod
era, ut deinde nonque quoniamque, certa insperatae codd. fides,
rotata prouis regim faciat, exito sanctorum accepit ora Iactosa.
Non opportuit in pueris videtur, hanc Iunestam Inlegio-
nes lidoem in genere Iustis persequi. Viles fuit, peripedia
ejus confundit, et accutit, exempli loco ea morbis collam-
entaria effere & dulcissime usum. Nequidem ampe, hoc in
pergis hunc intermissionem. Nam vero quam telam excedere topo

TRAETRI CARISSIMO

BARTHOLOMAEO SIEBEN.

J U D

AT IN ILLUSTRI AMSTELADEMENSIVM

ATHENAEO ANTICISSORI

SACRUM

DISSEMINATIO PRACTICO-MEDICA
INAUGURALIS,
DE
NEPHRITIDE.

§. I.



Inter multos & varios, qui corpori humano & proxime massae sanguineae accident, morbos, nulli profecto sunt atrociores, quam qui a Practicis inflammatorii nuncupantur. Hi uti pernici admodum impetu universam concutiunt oeconomiciam animalem; ita & maximum vitae periculum haud raro minitantur. Natura in iis accerrimum veluti conflictum sustinet, in quo eo cadit citius, quo majori hostem suum virtute expugnare nititur. Hinc, spectato Medici officio, eo plus quoque in mora inest periculi, quippe quod diei, ne dicam horae quandoque, jactura insuperabile reddi solet; mutata prorsus rerum scena, exitu sensim acerbiori luctuosa. Non opportunum in praesens videtur, hanc funestam Phlegmones indolem in genere latius persequi. Visum fuit, perspecta ejus considerationis necessitate, exempli loco ex morbis inflammatoriis afferre & delineare unum, Nephritidem nempe, his in terris haud infrequentem. Prius vero quam telam exordiar; rogo

A

L. B.

2. ³⁵⁹ DISSERTATIO PRACTICO-MEDICA

L. B. ut specimen hoc Inaugurale obsequii potius, quam eruditio-
nis testimonium, humanissime, excipere velit.

§. II.

Nephritis, proprium morbi nostri nomen, ex Graeca voce
νεφρός, Latinis Renem significante, & communi particula *ητης* coa-
luit. Haec ex origine relata ejus significatio quam late pateat,
nemo non sponte perspicit. Nihil enim aliud, quam renalem in-
nuit affectum, cuius vero sub titulo, utpote perquam generali,
cuncta & certe diversissima Renum vitia describi posse videntur.
Neque quendam, in Veterum monumentis vel parum versatum,
fugit, multiplices legi morbos, Nephritidis appellatione donatos,
nulla stricte habita inflammationis ratione. Alii quidem cum hac
scæpe numero incidere solent; quemadmodum Lithiasis, qua a
calculo, renibus infixo, *obstructio* nonnunquam *Phlegmonica* conflu-
tur. Atque haec tam cerebro forsitanque certo visa & animad-
versa fuit, ut prae ceteris jure singulari Nephritis fuerit appellata.
Alii vero affectus commemorati longius a nostro dissident; tota-
que abhorrent natura sua, exceptis quibusdam symptomatibus,
quandam testantibus affinitatem; qualia sunt lumborum dolores, uri-
nae suppressio & difficultas &c. Quin & recentior aetas in his
sua plus justo usa fuit libertate, notione Nephritidis diverso sensui
subiecta. Hic vero, jam probe distinctus definitusque, exhibit nobis
veram Renum inflammationem, acuta cum febri & gravissima doloris
punctiorii sensatione ad sedem lumborum internam emergentem.

§. III.

Definitio Nephritidis (§. II.) primam atque formalem ejus
idaeam stricte complectitur. Haec jam ut plenius evolvatur, oportet considerare;

- 1°. Organum affecti naturam;
- 2°. Inflammationis rationem suis petere ex causis;
- 3°. Harum dispicere effectus, sive symptomata;
- 4°. Ex his deducere morbi Diagnosin & Prognosin;
- 5°. Rationalem curationis viam monstrare.

Ex his caput, seu momentum primum materiem offert, quam
cer-

Certe haud caperent solam pagellae hae , si totam vel parum cu-
rate ex dignitate sua pertractare oporteret. Verumtamen nec
silentio prorsus illa praetermitti potest , quippe qua , ceu funda-
mento , sana morbi nostri doctrina nititur fere universa. Quare
tantummodo , quantum hujus intellectui serviat , expositio ejus
nobis ineunda videtur , brevitatem ubique studiose secuturis.

§. IV.

Organa ergo , quae paucis speculari ad rem interest , Renes
sunt , qui inter imi ventris viscera non ultimum tenent locum.
Hi licet parvo ex volumine constent ; at fabrica tamen sua &
praeprimis usu adeo excellunt , iis ut nec animalium genera , no-
bis longe inferiora , careant. Numero sunt naturali duo , & quili-
bet , eminentioris spinae distinctus interventu , suum occupat la-
tus , sinister sinistrum & dexter dextrum. Sedes ejus praecipua ,
in molli lumborum valle constituta , a binis inferioribus dorsi ver-
tebris ad illorum tertiam vel fere quartam pertinet. Altior
quandoque & demissior , nec non in latera a medio spinae majori
vel minori intervallo est remota , sic ut vix certis circumscribi
posse limitibus videatur. nec est , cur quis naturae inconsan-
tiam in his temere redarguat , quippe quae , sibi sola norma & lex
optima , nihil nobis , quam quod paeclarissimum , observandi stu-
dium relinquit. Quod si porro eo , quem inter se obtinent , situ
Renes respiciantur , e regione quidem consistere apparent. Ve-
rum haud aequa intercedit altitudinis ratio , utpote qua sinister ple-
rumque dextrum exsuperare solet. Inaequalitatem hanc proxime
elegantia partium vicinarum positu judicare oportet. Ambo nem-
pe Renes a posteriori simulque superiori exteriorique regione co-
stas adjacet infimas spurias , proximamque lateralem & imam Dia-
phragmatis carnem. Inde , proposito nobis homine erecto , su-
pra musculos Psoas , Quadratos lumborum & Transversales abdo-
minis perpendiculari utcunque ductu descendunt , extremitatibus
suis parum ad se vergentibus. A parte dein dextra summitati Renis
concavum imminet Hepar , laterique ejus extremo accumbit crassif-
orum intestinorum principium , tenuibus anterius instratis. Ut jam
praegrande illud viscus amplitudinem suam per utrumque extendat
Hypochondrium ; mole tamen & crassitie maxima insidet dex-
trum ,

4 DISSERTATIO PRACTICO-MEDICA

trum, eoque etiam altius necessario dependet. Unde & qui ei subjacet inhaeretque Ren ille, depresso quodammodo deorsum magis concedat, oportet. Sinister vero, cuius verticem tangit Lien, & quandoque ad ejus medium fere usque sese demittit, hujus ob dimensionem descensumque minorem opportunum invenit locum, quo surgere liberius & socio suo superior collocari potuit. Haec praecipua situs utriusque Renis diversitas, partium memoriarum positioni quam egregie respondeat, satis cognoscitur. Plura, quae ex observationibus rarioribus, in hominum animaliumque corporibus captis, his addi possent, ita comparata sunt, ut magis ad Historiae Anatomicae amplitudinem, quam ad objecti nostri tractationem, pertineant.

§. V.

Exposita Renum sede (§. IV.); horum memorabiles facilesque cum partibus circumjectis nexus proxime examen nostrum spectant. Plerique fibrofa quadam perficiuntur textura, quae, undique diffusa, vicinis sese immergit. Ita e lumbis primum, vel proprius, ex recensitorum muscularum superficie, quibus Renes a tergo sunt appositi, simplex, multa, dilatabilis, ac tenuis producitur cellulosa, qua mox ipsorum substantiae accrescit. Ea uti a posteriori, ita ab anteriori facie tota illis diversimode sese jungit, illigatque expansio Peritonaei. Haec scilicet, facto a contiguo pariete Diaphragmatis costarumque ultimarum excursu notabili, lumborum petendorum causa, supra Renes, hac in via sitos, trahicitur, obtegit hos simulque a cavitate abdominis secludit. Unde, adscita quadam involucri forma, Fasciæ Renalis, vel & membranae externae, nomine Anatomicis vulgo venire solet. Laxior ejus solito rarerque habitus, quem eo transitu induit, pinguedinis accumulationi mirifice favet. Atque haec non solum in animalibus saginatis, sed hominibus obaesis, copiosissime semper congesta, adeo mole increscit, hac ut circumfusi & veluti sepulti Renes opprimantur ac suffocentur. Hinc quæ & quot gravia illis, caeterum sanitum, plerumque inorientur mala, ex urinae indole hujusque necessaria secretione liberrima, jam plus minusve impedita, abunde appetit. Feliora ideo iis reputanda sunt macilenta, & siccioris temperiei corpora, quæ, pondere illo inertis

non

non gravata, vel parummodo ejus materiei, vel quandoque fluidum saltem tenuaque oleum Fascia sua alunt. Haec ut memorata jam specie varia Renes laxe convestit, integra ac mobilis; itaque hos facili fibrarum suarum propagine, quaquaversum immissa, partibus finitimi annexit. Neque alia, quam strictior quaedam densiorque est cellulosa, qua illi cum Hepate, crassorum intestinorum initio, Colo & Liene cohaerescunt. Hisce porro accedunt Renes Succentureati dicti, vel Capsulae Atrabilariae, folliculi glandulosi quaedam species, in Renum verorum apice nitide sedentes, cui tam contextu fibroso quam communis vinculo vasculo & adiposi involucri accessu sunt firmiter affixi. Quod demum supremam majorum vasorum conjunctionem attinet; haec cum minus firmandae Renum sedi, quam fabricae constituendae, inseruant; ad hujus potius expositionem revocanda videtur. Quod si jam per vestigato horum nexu, hujus ratio recte subducatur; liquet, quam apte haereant Renes ad praestantissimam motus respirationis, alterni & corporis in incessu vim excipiemad. Moderatus hujus vigor tantum iis praestat usum, ut, sine eo sensim clanguescentes, haud levia contrahere vitia soleant.

§. VI.

Exteriores Renum tractus contemplati, horum formam ante oculos fistere possumus. Viscera sunt, si sana fuerint, mole parva, quorum longitudo raro quinque digitos transversos excedit, latitudo ejus dimidiā & crassities quartam fere partem adaequat. In figura illorum describenda mire luserunt Anatomicorum ingenia, quorum aliis imago Cordis, Testium, Semilunae, aliisque foliorum Asari, Phaseoli, plurimumque rerum arridet. Aliqua quidem similitudo omnium, nulla tamen perfecta obtinet, quae nec ipsis Renibus constat. Hi constantiori naturae more externo ambitu convexo maximoque, latera spectante, lineam describunt quodammodo ellipticam, quae, ad utrumque ducta extrellum, circularis magis, a parte interna inaequaliter statim decrescit, ita ut in medio praeprimis introrsum flexa sinus quandam speciem efficiat. Hinc quae nascitur facies, fabam utcunque aemulatur, quae dorso recurvo & superficie utrumque tumidula ac applanata, ab anteriori est excisa, qua, veluti ex umbilico, pedunculus exit, leguminis intus

6 DISSERTATIO PRACTICO-MEDICA

parieti defigendus. Hac Renum forma, curatiū paulo circum-specta; manifesto circa fines apparet magnitudinis discrimen, quo-rum quippe superior, seu caput, crassius extuberat, & inferior sub sinu, longius paulo eductus, corpore leniter extenuari solet. Eminentiae reliquae atque foveae, quae hinc inde conspiciuntur, nil nisi partium adjectarum pressionem arguunt, cui, ut alia viscera, ita etiam Renes se pulchre accommodant. Horum caeterum sub-stantia, veterum Parenchyma, compacta, densa satis, unita in adultis, aequabilis, globra & splendida in fatu interrupta, mi-nores in portiones nitide divisa, molliorque esse advertitur. Pro-prius ei color obscure in rubedinem vergit, vel etiam ad carneum accedit, magis minusve dilutum. Tota demum si fuerit con-tinua & aequata, una obducitur singulari membrana, interna vocata, ut ab externa adiposa discernatur. Simplex illa te-nuis, ut ut firma, pellucida, laevissima, strictissimeque circum-texta est, ut nihil pinguedinis admittat & aegre detrahi possit. Hoc opere ejus originem sequendo detegimus, quod a membrana ex-terna, sive communi vasorum emulgentium, proficiscatur, ita nempe, ut haec ad ingressum suum exuant demittantque illam, circa Renes explicandam. Tali modo artificiosissima horum tex-tura sapienter & ordinata & munita est, ut muneri suo insigni tuto vacare queat.

§. VII.

Ut jam substantia Renalis, superficietenus modo adumbrata, (§. vi.) penitus introspiciatur; ejus vasa per vestigare oportet. Haec venerabilis antiquitas singulari appellavit nomine Emulgen-tia, quod acre serum ex sanguine veluti eliciant, vel emulgeant. Inter ea primo merito loco commemoranda sunt Arteriae, quae inconstanti ut plurimum numero, una, duabus, vel pluribus rad-iibus ex Aortae trunko prognasci solent. Dextra quidem ex latere ejus proxime oriunda, Venae sociae anterioris comitatu leniter mox descendit, ita ut angulum fere rectum exhibeat. Eadem spe-cie sinistra ex propiori sibi parte ipsius provenit, dextra frequen-tius inferior & brevior fere semper, utpote quae ortu suo, ob-situm Aortae sinistriorem ad spinam minori a Rene suo intervallo dislidet. Ambae nunc Renales, sic editae, directo medium versu-

cur-

cursu, priusquam viscera introeant sua, in varios se spargunt ramos, tres, quatuor, plures paucioresve, quibus ceu anchoris jaetis, illis statum immeant. Nemo curiosior paulo naturae speculator has conspectari arterias potest, quin harum respectu Renum magnitudinem praesignem & animadvertat & valde admiretur. Utriusque vel plurium, si adsunt, lumina si simul capiuntur, nihil certe, vel parum, Aortae capacitate sua cedunt. Inde facile erit assequi, non mediocrem iis advehi sanguinis copiam, & ad futurum secretionis usum impendi.

Venae Emulgentes, Anatomice spectatae, facile principes sunt, quas Cava inferior, sub Hepate elapsa, toto, quo ad spinam decurrit, spatio usque ad Iliacarum Dichotomiam vario lusu progingnit. Dextra si prodeat sola, gemina alias, vel trina, ex laterali canalis illius parte educitur atque una cum arteria subdita ad Renem suum commeat. Ipsa, a principio mox deorsum inclinata brevi illum attingit, atque ramosa intrat. Altior vero sinistra, eminentior, longiorque, ob Renis, quem petit, sedem disjunctam magis elatioremque, prope originem saam oblique paulo transcedit aortam, & divisa demum, ut prior, corpus illius ingreditur. Venae hae, ut toto systemate suo, ita & hic majorem arteriis nactae sunt Diametrum, quam subtriplam circiter calculus demonstrat.

Enarratis cum vasis Arteriosis Venosisque ad Renes quoque deveniunt Nervi, subtile quidem, & exigui, at memoratu tamen valde digni. Dupli nascuntur ex stirpe, nempe a pari intercostali & vago, quae numerosa sobole visceribus abdominalibus prospiciunt. Illi conspicuis aliquot ramis non ad externum solum Renum ambitum, sed horum quoque pertinent substantiam, adeo ut intimam cum intestinis, ventriculo, Hepate, Liene aliisque confessionem, in multis morbis quam molestissimam, nobis pariant.

Arteriae hae, Venae & propagines Nerveae, cellulosa nitide convinctae, accedente pelvi & molli pingui, omnibus interfuso, Renum sinus incolunt, totosque explent.

§. VIII.

Vasa Renalia, ab ortu considerata (§. vii.), ulteriori suo decursu, distributione, fine ac functione cursim prosequi, ordo jubet.

jubet. Haec per vestigaturis universa Renum substantia subtilissima sese nobis praebet cognoscenda. Hanc quidem incisio duplum esse ostendit, Corticalem scilicet & Papillarem. Illa, a situ suo sic nuncupata, alteram ceu cortice amplectens, extima, proprio Renibus imbuta colore, mollis & lenta, ad visum homogenea, vix fibrosa, continua sibi & in aetate hominis provecta, digitum crassa appetit. Haec, interior, ceu medullaris, a papillarum, in quas abit, forma nomen consecuta, subalbicans, solidior & compactior, interrupta, priori quasi ubique agglutinata & interserta, latiori circa medium plaga extrema versus est attenuata. Papillae istae, vel carunculae papillares, a similitudine, quam cum mammariis gerunt, ita nominatae, pyramidalis quodammodo figurae, a latiori basi, Corticalem tenente substantiam, in obtusum mucronem deficiunt. Aliae ex iis aliis grandiores amplioresque longius protuberant, dum aliae breviores & magis coactae sedent. Vario ut plurimum numero, sex, septem vel quandoque octo quolibet ex Rene prodeunt, cujus vero dissectione duplo evadunt plures; ut a quibusdam inconsiderate referuntur. Omnes vero & singulæ eo dispositæ sunt modo, ut vertice suo ad sinum renalem conversæ in pelvem incident. Hisce solis sensibus edocetis, tantum abest, ut vera & intima pateat fabrica, ut contra sit abditissima. Ad hanc vero eruendam plurimum juvit. 1°. Sectione, more Eustachiano fere inimitabili instituta, qua constat arterias & venas Renes introgressas, statim quaquaversum diffundi, ita ut mediae, rectius versus ambitum ductæ & reflexæ, ibi introrsum serpent, laterales vero, continuo recurvatae ad extremitatum formam incedant. Primo hoc itinere canales illos se eximie promittere atque pro magnitudine sua ramos similiter insignes, sed minus crebros, at progressu suo sensim decrescentes, minores quoque & copiosiores dispergere. Haec vasorum renalium facies ut ut Renum quandam speciem per belle exprimat; horum tamen structurae adhuc nobis saltem dat lineamenta. Hisce perficiendis incredibiliter profuit. 2°. Praeclara injectionis ars, in qua excolenda recentior praeprimis aetas quam felicissime versata fuit. Ejus auxilio a principibus Anatomicis detectum & ad oculum fere demonstratum fuit, quantum viscera nostra in sinu suo interiori recondant artificium. Videlicet repletis dextre Renibus, cernere est (a) horum corticalem substantiam maximam partem ex mul-

tis minutissimorum, mirifice sibi implicitorum, & fibrosa concrecentium textura, vasculorum myriadibus esse compositam; (b) observatam ante divisionem & distributionem eo pergere ordine, ut vasorum majorum serie continua se se invicem propagantes, successive numero, exilitate, angustia atque tenuitate ad incredibilem usque subtilitatem crescant; (c) illas omnino universas a cursu suo rectilineo spatiolis minimis omni fere puncto deflecti, ita tamen, ut longe plurimi a Renum amplitudine, quam reptatu serpentino eleganti perambulant, ultimo substantiam papillarem versus pertendant; (d) arterias venasque pares ramificationum leges viasque sequentes easdem, perpetuo se se quoisque sensibus consecuti datur, concomitari, constituto inter utrasque commercio frequentissimo liberrimoque, ut facillimo in se aditu pateant; (e) substantiam papillarem non attexi simpliciter corticali, sed ultimis huic continuari canaliculis, nomine fistularum Bellinianarum vulgo notis, numerosissimis, exilissimis, cellulosa strictissime nexionis & radiorum instar, ex latiori Renum ambitu recta dimanantium ex proximo singulas versus papillas convergendo sensim ad harum circumferentiam patulis demum osculis exeuntibus.

§. IX.

Perquisita haec in universum Renum structura quam eximie Oeconomiae suae conformata sit, facile liquet. Hujus quidem multiplex administratio ad unum tamen potissimumque secretionis urinae usum respicit. Hujus causa multus, ex communis fonte vitali largiter haustus, ab arteriis emulgentibus affertur sanguis, qui viribus cordis, arteriarum ipsarum, respirationis & motus animalis appulsus per renalem substantiam vividissime agitur. Hoc trajectu 1°. pars ejus longe maxima, crassior, blandior, levior & inertior, ab organis repudiata secretoriis, in pristinum circulum ad vitae universalis emolumentum revertitur. Atque huic solito redditur muneri venarum sanguiferarum, quae primum ab arteriis eiusdem nominis prognatae, innumerabiles & perexiles, sensim inter se confluentes, ambas demum conficiunt renales, venae cavae insinuatas. Quam expedita atque aperta sit haec via, experientia injectoria saepius iterata luculente testantur. Nobilior 2°. portio aquosior excrementitiis magis onusta particulis iisdem provecta

10 DISSERTATIO PRACTICO-MEDICA

catus motricibus, vasorum angustiis superatis, ad ultimos usque corticalis substantiae terminos pervenit. Ipsa hojus mirabili valde fabrica sapientissimae naturae auspicio & instituto, non facile explicabili, secreta ad papillarum dein sedem promovet, qua mox fistulas Bellinianas, ceu ductas excretorios, secretoriis immediate continuatos ingressa, horum demum patulis ex osculis, libere circa illas hiantibus, erumpit. Notandas hic omnium instar meatus, quo praecipua Renum functio absolvitur, haud difficili rursus negotio adacto fluido colorato nobis commonstratur. Hoc nempe una & perpetua canarium serie, nulla conglomeratione glandulosa intermixta, permanans sat prompte ex tubulis illis ultimis urinariis dilutius paulo exstillaire solet. Quin imo sola horum pressione lotum conspicuis prolixi posse guttulis, ut roris ad instar proveniat, dadum fuit exploratum. Viscera nostra 3°. ex humorum suorum massa lympham nobis deponunt laudabilem, quae a nutritionis opere superstes & superflua, propriis recepta vasis ad Chyli receptaculum defertur. Non sphenendam ejus esse copiam numerosae comprobant venae lymphaticae, quae arteriosae originis ex interioribus emergentes, Renum superficiem perreptant & tandem in trunculos quosdam maiores congregatae ad glandulas lumbares, ut & vicinum ductum Thoracicum procedunt. Mirandum certe, perspecta hujus actionis indole, Naturam eandem fabricam tam variis potuisse aptare usibus, ut nullis deficiat. Ad hanc multiplicem humorum dispensationem accedit 4°. functio universalis, cutaneae similis, quae Transpiratio dicitur. Ut viscera omnia, ita & Renes propriam circa se habent atmosphaeram, pulvis ad ambitum fluidis subtilioribus, quae halitus specie ex omni ejus punto evanescunt. Haec vaporosa emanatio ex arteriolis fit minimis, quae a majoribus internis profectae, continua progerminatione ad exteriora migrant. Ex his aliquae, saepe numero longius extensae, ad ipsam adeunt fasciam adiposam, hancque Renibus leviter conjungunt. Nec minus & hic naturalis viget resorptio, non contemnenda liquidi vitalis restauratrix, bibulis mandata venis, quae innumeris principiis extus natae, ad intus se recipiunt, Emulgentibus committendae, quarum inde systema omnibus numeris absolutum redditur.

§. X.

Ex Renibus, munere defunctis suo, urina continente, qua depluit, vi in vesicam confluit. Canales, quibus excipitur devehiturque notissimi, ab officio suo Ureteres vulgo vocantur. Hi ob aptissimum cum iis nexum, consensum mutuum & morbi nostri ex ipsis proventum, in prima hac Anatomica Dissertationis parte haud omittendi esse videntur. Originem trahunt suam ex pelvi, quae, quasi cisterna quaedam, tota membranacea, fatis ampla, inaequabilis, dilatabilis multo, retro vasa emulgentia sita, inferius extra sinum renalem prominet. Una & continua ibi ex ramis seu tubulis quibusdam producitur singularibus, tenuis quoque & membranosae indolis, figuraeque irregularis, qui basi papillarum per orbem circumpositi, singuli adeoque harum numero respondentes, mox inter se varia specie coēunt, expansique cavitatem pelvis efformant. Haec jam angustata cito, ad infundibuli instar, in ureteres abit, qui fortes, pennam circiter anserinam crassi, ab aspectu non male veteribus nervosi dicti, longique a Renum altitudine flexuoso cursu per lumbos ad vesicam contendunt, in quam demum obliquo inter membranas decursu a regione posteriori non longe a collo, egrediuntur. Huc ita & descensu naturali & motu quodam systolico & diastolico ureterum atque agitatione partium vicinarum deducta urina aptissimum reperit locum, quo congesta sensim morari possit, usque dum opportunum excretionis tempus eveniat.

§. XI.

Haec, jam summatim descripta, organa sunt, quae haud exiguo certe cum sanitatis & vitae periculo Nephritis invadit. Ea sic quidem esse nata, ut hac occupari facile possint, nemini, qui, gnarus fabricae illorum, inflammationis doctrinam simul leviter attigit, arduum erit perspicere. Haec tota ab obstructione pendet sanguinea, transitum intercludente, cum valido & febrili humorum, a tergo incessantium, impetu conjuncta. Utraque haec conditio, proh dolor! aequa in gemina nostra, quam in alia quaecunque corporis humani viscera incidit. Etenim 1°. illa ex canalibus constructa conoideis vel arteriosis, quorum in progressu sectiones

eo sensim usque diminuuntur, ut ultimo p[re]summa angustia, omnem visus aciem quam longissime effugiant. Neminem latet, hanc illorum figuram, pulchellam caeterum efficacissimamque, atque parvitatem, inter plura rationem p[re]ebere mechanicam p[re]cipuam, ex qua, quotquot sunt, morbi inflammatorii solent derivari. Vasa illa 2°. a primo introitu suo ad exitum usque flexuoso maxime & anfractuosum pergunt iter, quod sane mireris, fluida nostra naturalia semper eluctari posse. Eo uti horum impetus repetitis in cursibus multum retunditur; ita & velocitas, directio & aquabilitas fluminis valde mutatur, auctis omni puncto resistentiis, a quibus demum obstructionis discrimen redundat. Ipsa haec vasculosa fabrica 3°. adeo stricto & subtili nexu concrevit, ut densitatem & duritiam substantiae renalis reddat haud medicrem, quae novam afferat circulationi moram, necesse est. Ea Renum textura 4°. pro sua, qua gaudet sensititate spasmodicas quoque sustinet affectiones, quae quam variis humorum motum perturbare possint modis, inter Medicos palam constat. Certe observatae dudum mutationes, quae in secrezione & colore urinae ex Hystericis, Hypochondriacis, Colicis, Podagricis & Arthriticis affectibus oriuntur, nullum in his dubium nobis relinquunt. Neque 5°. silentio praetermitti debet insigne adipis pondus, quod, Renibus saepe numero superfusum, pressione sua non parvam illis vim inferre solet. Quicunque 6°. sanguinis, huc advecti, mollem, celeritatemque secum animo reputat; ille sponte assequitur, nihil impedire, quo minus & hic, ingruentibus causis, Phlegmone accendatur. Quin imo 7°. Renum sedes non parum violentis corporis concussibus & viscerum abdominalium gravitationi est exposita, quibus partim humorum impetus huc versus retrahitur, partim ordinarius illorum cursus distinetur sufflaminaturque. Matrices urinae 8°., quae ex omnium coctionum officinis perpetuo & ubertim affluit, acrimonia & crassitie particularum, quibus in fano, sed maxime morboso statu ex metastasi scatet, multa crebro inventit mala, ex quibus etiam Nephritis consequi potest.

§. XII.

Ut vero effectu ipso spectabilem Nephritidis ortum intueamur; ad causarum hujus enumerationem perlustrationemque exactam de-

deveniendum est. Hae, quam multae sint & diversae, tam forma, quam vi sua, praxis medica luculenter nos edocet. Facilis in harum disquisitione ordo tenetur, si ad memoratam (§. xi.) duplum conditionem, obstructionem scilicet Phlogisticam, & hujus comitem individuum, motum febrilem concitatissimum, animum advertamus. Hinc statim primaria nascitur causarum dichotomia, quae proximam complectitur, in inflammationis historia valde momentosam. Piores vel ad vitia arteriarum sanguiferarum, vel massae sanguineae, vel utriusque, referri solent. Illae sola, quam patiuntur, cavi sui angustatione sunt notandae, quae (a) vel ex virtutis contractricis vitalis excessu, vel (b) prava canarium illorum indole, vel (c) violentia quadam externa existit. Inter complures, quae triplici hac classe contentae, remotiori titulo describuntur, causas & quidem primas, a nobis animi Pathemata numerantur. Haec veluti tyrannidem in rempublicam corporis humani exercent. Ea, qua hoc pollet, facultas motrix, non aliunde quam ex fonte nervoso promanat. Quare, quam primum hujus liquidi enormuntici in fibras influxus augetur, harum actio systolica actutum intenditur. Verum quid quaequo sistema ejus mobilissimum vehementius percellit, maioresque ciere fluctus potest, quam affectibus agitata mens? Hinc, qui se late ubique diffundunt, motus spastici arterias praeprimis ad tantas redigunt constrictiones, ut frustra saepe obstructions inflammatorias arcere conteris. Atque hae eo effectu in cuncta cadere possunt viscera, & Renes quoque opprimere; quemadmodum observationes practicae ab omni fere tempore perhibent. Quae autem eo nomine & omni sinistro, maxime notanda Pathemata, sunt, quae calidiora vel vehementiora appellantur; ut ira, terror &c. Haec, si quae alia, hominem nervosnm quam gravissime afficiunt, ut fluida nostra instar torrentis ferantur & valde inaequent. Quapropter haud mirandum, si, motis tanto fervore turbis, Nephritis oriatur.

§. XIII.

In numero causarum primae classis (§. xii.) magna quoque stimulorum vis, ex multiplicis naturae acrimonia ingenita, nobis ponenda venit. Haec in se spectata, licet proprie ad morbosam sanguinis diathesin pertineat; at actu tamen suo in solidorum affe-

ctionem transit. Ejus enim labes eatenus modo Phlegmonen creat, quatenus sensilissimas arteriolarum tunicas, vel extus, vel intus, pungendo, rodendo, & lacerando earum contractionem naturalem pervertit, convulsivam reddit ac turbulentam, circulationis campum angustat, sicque, quibus inhaeret, liquidis, impetuose actis, & allectis viam paecludit. Ea, quae hic praeprimis tragediam agunt, acria sunt 1°. ingesta quaelibet, sale volatili mordaci alcalino grava, quae antiscorbuticorum catalogo vulgo inscribuntur; 2°. Aromata Indica calidiora & ex his confectae conditurae, perniciiles gulæ deliciae & irritamenta, quibus secunda mensa egregie ad aegrotationem instrui solet; 3°. potulenta ex iisdem cum spiritibus & vinis generosioribus parata & immoderate hausta, neque non cerevisiarum servidiorum genera, quae, praeter Nephritidem, tot nobis conciant mala, ut vere & recte dicatur: *Non facit ad longam erupula multa diem.* 4°. Nativa & composita balsama quam plura, Therebinthinata, Sulphurea, Juniperina & olea ex his destillata acerrima, quae Antinephriticorum nomine vulgo superbunt; 5°. Diuretica illa potentissima & ferme caustica infecta, Afelli, Formicae, Lumbrici terrestres, Coccionellae, Cantharides & Pharmaca ex his varia sed exitiosa arte effecta; quae, sponte sua velocissime Renes potentia, horum substantiam pervadendo vasculosam non soluth deterunt, lacinant & convellunt; sed magnam etiam humorum copiam secum abripiunt, sive non una ratione inflammationem apportant; 6°. Mercurialia Æri juncta, hujus tinturae cum spiritibus alcalinis, vapores arsenicales & alia venena, quae spasmo universali inducto terribilique, Renes facile incendere possunt; 7°. Aphrodisiaca, nimia irritatione semen prolectantia, a quibus uti partium genitalium aestus & turgescientia, ita & totius systematis uropoietici valida commotio tensioque saepissime excitatur. Ex quibus sponte elucescit, quantum & huic velificetur immodicus Veneris usus, cuius voluptatibus caeterum foede corpora liquefunt.

§. XIV.

Altera causarum inflammationis nostrae classis multifaria, quae fabricae arteriosae innascuntur, vitia recipit. Haec ordinario duplicis statuuntur generis, alia quae in parte ejus membranacea, & alia,

alia, quae in vasculosa versantur. Illa quae & qualia sint, Anatomie practica nobis luculentissime ostendit. Videlicet constat ex hac, molles tenerasque arteriarum membranas praeter naturam saepe emungi, siccescere, rigescere, stringi, crispari, perrodi, exasperari, crassescere, ossescere & a sana natura sua millenis forsan aliis modis degenerare. Pars vasculosa, pro ea, quam toties stupemus, subtilitate, tenuitate, & mirifica ramorum diffusione multum quoque pericitatur humorum stagnationibus, congestionibus, obstructionibus, tumoribusque, quibus introrsum versis arteriarum primarium cavum per gradus coarctatur, ita ut demum quandoque aboleatur totum: quod si nunc constructionem Renum, urinosae materiae, continuo & copiose appellantis, secretionem, calculosarum concretionum rationem & colluviei mortisae per illos transfluxum, criticamque evacuationem, naturae solemnem, attendamus, facile ad credendum inducimur, recensita mala in Nephritidem posse evadere.

§. XV.

Quae in tercia classe expendenda sunt Nephritidis causae violentiae externae specie sese nobis objiciunt. Hae vel omnes, vel pleraeque, magis minusve graves funestique sunt casus & affectus, qui extus vel intus nati, Renibus sinistre incident. Inter eos primo habentur vulnera, quae vel lumbis solum excipiuntur, vel alijus ad illos usque penetrant. Utroque ex infortunio Nephritidem esse metuendam, planissime liquet. Sive enim viscera illa ipsa sint fauciata, vel partes finitimae laesae; inflammatio vera iis proxime supervenit, vel hujus effectu ab externis ingruit; facto scilicet tumore, abscessu, puris cumulatioris elapsu, confluxu similibusque. Idem porro instat periculum, si interius in locis Renum vicinis Phlegmone obtingit, haecque benigna resolutione expediri nequit, vel intestina flatu sunt distenta, vel humores effusi circumcirca colliguntur, acres fiunt corroduntque. Quidne praeterea pertimescendum a lumborum percussu, ictu, lapstu & hujusmodi laesionibus pluribus? Contusio, quae hic evenit, partium formam & fabricam organicam funditus saepe evertit, ita ut vasis disruptis & contritis, fluida effundantur, haereant, corrumpantur intermorianturque fere omnia. Quin ingens, quae his subnasci solet,

in-

inflammatio, nostrum rursus afferre morbum possit, haud dubitatur. Verum alia adhuc violentiae externae obtinet ratio. Renes licet cavo abdominis sint exclusi, hujus tamen visceribus subster-nuntur (§. iv. & v). Illi ergo, homine supino jacente, eorum sustinet molem, qua continuo urgeantur, musculosae carni duriori apprimantur, comprimanturque, est necesse. Hinc, arctatis de-nuo vasis, humores liberiori suo transitu prohibentur, in majores incurunt angustias & crassior preeprimis densiorque sanguis, vi-vide impulsus, ad obstrunctionis veluti necessitatem compellitur. Quapropter somno nimio & diuturnioribus morbis haud infre-quenter intercedit Nephritis, aegrotantibus longo tempore lecto suo de-tentis. Ne alia plura meminerimus mala, quae eadem ex stirpe tra-huntur; ut praecipue nominanda est calculosa faburra, qua refer-ti Renes miseram inflammationis sortem subeunt. Ea quam pri-mum sese internis vasorum parietibus affigit, posito quasi rudimen-to, ceu semine, sensim accrescit, eoque jam, cavo illorum dimi-nuto, flumini vitali obviam obsistit. Prout deinde ipsa magis ma-gisque augescit, ut lapilli formam & magnitudinem capiat, ille proprium non solum, quem obsidet, canalem obturat, sed ponde-re etiam suo & duritie, tumoris instar, vicinos circumcirca coan-gustat, horumque aditum includit, ex quo nova formidolosaque obstruc-tio progignitur. Hujus demum causa non modo ex tali violentia, verum quoque ex resistentia externa advenit. Haec, quae nobis praecipue est annotanda, quandoque ex ureteribus sur-git. Hi vel tumore, membranis suis innato, vel ingestâ materie crassa, fôrdida & terrestri, urinis permista, vel calculo, ex Reni-bus delapso, vel grumo sanguinis adeo obstipantur, ut nihil amplius lotii transmittere queant. Interea, dum hoc jugiter ex papillis de-stillat, (§. viii. ix. x.) supra obicem collectum brevi adscendit, supernam ureteris partem cum pelvi explet, distendit immaniter & impressione insuperabili in sinum renalem & vasa huic inplanta-ta secretionis suae officinam destruit. Tam multiplices, quam po-tentes, atque ancipites his intersunt curruntque Nephritidis cau-sae, ut certe cuilibet sese sponte ante oculos exponant.

§. XVI.

Nephritidem, ut aliam utcunque inflammationem, ex vitiato etiam

etiam latice sanguineo manare, sub generali causarum divisione (§. XII.) innuimus. Ille quo noceat modo, si acrimonia laborat, vel ex corruptione propria vel particularum hostilium peregrinorumque admistione, visum fuit (§. XIII.). Jam idem rursus incusandus, non ita quidem blanditiae, quam tenuitatis justae defectu, aut crassitudine nimia, densitate, tenacitate, lentore vel, si mavis, viscositate. Haec sive aestu cæli generetur immodico, sive justo majori actionum corporis nostri assiduitate, ut vigiliis, laboribusque nimiis, sive Chyli crassi & viscosi excessu, sive pravo rerum adstringentium spirituosarumque abusu, sive intemperie qualicunque; canaliculi arteriosi, sanguini tali vehendo inepti, dum fortius excitantur, in obstructionis discrimen conjiciuntur. Atque hoc præsens habetur, si motus circulatorii fervor accedat spissumque liquidum a tergo propellere ulterius insistat. Quin imo idem ille impetus sanguinis, caeterum laudabilis, cursum adeo accelerare potest, ille ut ex vasorum suorum finibus in alienos projectus impactusque subtilioribus consistat. Quae hinc inducit singularis inflammationis species ab errore loci appellare consuevit. Hanc, aequa ac alteram, Nephritidi esse adscribendam, facillime cognoscimus, si ejus specialiores causas, huc pertinentes, attente parum speculemur. In his merito ponitur cursus violentior, cui universa humorum velocitas & excretionum cutanearum proventus semper respondet. Sed cum festino pedum motu lumbi valde quantiantur, & corpore translato mobilia abdominis viscera, mox sursum, mox deorsum, ruant; manifestum est, iis Renes non leviter simul feriri, contrudi & liquida sua densiora & accelerata fortius vicissim transadigere. Haec, si acrius provoluta, si ductus uriniferi laxius pateant, hos permeant & foras saepe proripiunt miętu cruento, vel circa strictiora eorum principia retenta & coacta Nephritidem procreant. Non minus reprobanda esse violentiora corporis exercitia, labores graviores, saltationes, luctas, ponderum elevationes & similia roboris virilis & heroici pericula, quilibet lucide videt. Intensiori enim, qui in iis editur, nixu totum veluti genus musculosum insurgit & intenditur, spiritus pulmonibus coercetur, his ita distensis & inflatis sanguis venosus in itinere suo ex dextro in sinistrum cor accumulatur retardaturque. Eodem tempore contracto Diaphragmate, subditæ partes depelluntur, colliduntur, constipanturque, compressis rursum ab omni

regione Renibus, inter prela veluti positis, vasisque sanguine tūmentibus. Quid inde? hic cum prompte circulum suum remetiri nequeat, gradum tunc sistit, vel faltem lentius serpit, pressionis suscipit molestiam ab incumbentibus & in extremum necessario adducitur (§. xv). Vix opus est pluribus, proposita lustrantī, ad perspiciendam vim illam detrimentosam, qua Renes equitatio-ne citatori afficiuntur. Quantusne hoc ex frequentiori corporis succusū viscerum omnium projectus? quam gravis horum dum deorsum feruntur, cum illis collisus atque percussio? neque his patrum simul aortae descendantis sanguinem praecipitari, inferiora versus rapi, Renes inundare, impetere & ex errore loci inflammare, nemini obscurum esse potest. Verum cuncta haec mala eo magis esse extimescenda, quo plus humoribus abundat homo, res ipsa loquitur. Sola profecto Plethora, causis enarratis existentibus, ita est comparata, ut in Nephritidem abeat. Quapropter non mirandum, hanc, suppressis evacuationibus naturalibus menstruorum, imo & morbosis Haemorrhoidalibus, ad Renes versis, contingere, quemadmodum observationes practicae, fide dignissimae, luculenter comprobant.

§. XVII.

Altera conditio, quae veluti essentiam obstructionis phlogisticae ingreditur, in motu febrili posita esse deprehenditur (§. xii). Tota ab hoc manat vis illa intensa, cum qua liquida, libere adhuc circumneuntia, in canales infarctos irruunt. Ea si curatius paulo inquiratur, neutquam videtur simplicem adeo, quam quidem statuant, mechanicam circuli imminuti rationem, sed potius stimulum prorsus singularem sequi. Hic, qualiscunque etiam fuerit, externus vel internus, naturalis vel praeternaturalis, ad virtutem motricem solidorum nostrorum proritandam valeat, oportet. Agitur ergo unice de systematis nervi affectione violentiori, quam, quae praecedunt, vel conjunctae sunt inflammationi, causae facile producere possunt. Harum jam nomine merito designantur omnes, quae exposito modo Nephritidem pariunt, cuius ergo tam obstructionis, quam febris acutissimae, ratio vera dilucet.

§. XVIII.

§. XVIII.

Postquam Nephritidis ortum dedita investigavimus opera; nostri erit continuo tractationis nexu exitiosos ejus effectus perfectari (§. iii). Hi cum numerosi sint & natura multum discrepent, ea commode serie exponuntur, qua ex composito inflammationis statu, nimirum obstructione rubra, & impetu febri profluunt. Hic primum, in universum spectatus, vehementer saevit excitatque aegro aestum intolerabilem, sudorem, sitim, vigilias, inquietudines, deliria & quae haec ordinarie comitantur symptomata quam plurima. Ipse vero ea, qua proxime in morbi sedem grassetatur, violentia materiem impactam percutit, intrudit altius, immotam compingit, densat & canales arteriosos, illa obsecros, nec liberandos, fortiter atterit, infringit, perurit, distendit, extenuatque. Unde statim dolor oritur vere inflammatorius, ingens, fervidus, tensivus, pungens, profundus atque in lumbis ea parte fixus, qua Renes jacent (§. iv). Inde si horum dexter fuerit inflammatus, ille supra ad Hepar, septum transversum & infimas hujus lateris costas, si sinister, ad Lienem & infra versus spinae extremum excurrit. Eadem actione febris fatali, qui simul summo cruciatu increscit tumor substantiam vasculosam magis magisque occupat, opprimit, coarctat & sic obstructionis plagam secum in omnem ambitum extendit. Effectus hi proximi tempestatis febrilis novum symptomatum agmen conflant, quod per totam fere machinam animalem misere erumpit. Videlicet cum nervosi generis nexu tam eximia Renibus constituta sit cum visceribus abdominalibus consensio (§. vii.); cuncta ex hac, illis laborantibus, vehementissimas trahere turbas solent. Hae dirae sunt illae convulsiones, dolorificorum tumorum comites, quae omnia pervagantur. Ventriculus, iis suo impeditus officio, totus mox subvertitur, testibus inappetentia, horrore, nausea, ructibus continuis & vomitu terrifico, qui ad bilis ejectionem usque aegrum miserrime divexat, neque ullis remediis facile compesci potest. Fistula intestinalis similiter agitata, pessime habet, doloribus urgetur vagis intensissimis colicis Iliacisque, anxietate, inflatione abdominis, tensione & alvi fluxu molestissimo stipatis. Quin & spasmodorum vis inferiora incessit & canales uriniferos, vesicam, organa genitalia & inguina quam gravissime afficit. Quid? quod ea adeo longe inter-

terdum serpat, ut diffisi corripiantur testes & horum, qui ex eodem cum Rene inflammato latere pendet, dexter vel sinister, non solum indoleat, sed etiam sursum retrahatur. Praeterea cum gravis tumor inflammatorius in partes subjectas musculosas recumbat; hae non levem ex pressione noxam capiunt. Hinc fieri haud raro solet, ut unum alterumve crus propemodum Paralysin nanciscatur, quam & stupor & immobilitas satis portendere videntur.

§. XIX.

Quod ad symptomata attinet Nephritidis, quae sola ex obstrukione inflammatoria proficiscuntur; haec non minus gravia sunt & ferocia, quam modo exposita (§. xviii.). Ea quidem morbi pars non adeo, ut prior, actu suo furere apparet, cum inertissima ejus materies, immobilis plane, in arteriarum angustiis desideat. Verumtamen eo ipso illa omnes corporis functiones & praecipue Renum mirifice turbat, hoc est, urinae secretionem remoratur intercipitque. Hinc dum 1^o. particulae acres urinosa^e ea, quae debent, copia, via illa excludi atque expurgari nequeunt; ipsae multum in sanguine remanent, replent hunc, inficiunt & terebrime corrumpunt. Unde memorata non solum symptomata ingravescunt, sed novorum fit accessus, quorum natura ex Cacochymiae praesentis genio percipitur. Ea 2^o. obtinet in motu humorum nostrorum lex, ut hi, opposita in una parte resistentia, in aliam abundantius sese conjiciant. Quicunque nunc ex Renibus fuerit obstructus; sanguis ab hoc repressus, in alterum, ex adverso proxime situm, facile involat novamque calamitatem importare valet (§. xvi.). Eadem ex causa ille deorsum pulsus in vasa spermatica proxima & libera rapitur, quae redundationis effectu inguina & testes quam gravissime afflstant. Cum 3^o. pro majori minorive obstructionis magnitudine, vel plura vel pauciora vascula secretoria vitiata sint vel destructa; ea, quae adhuc redditur, urina in copia, colore, odore, consistentiaque vel substantia quam plurimum differt. In principio, flagrante maxime spasio, mingu solet pauca, tenuis, aquae adinstar insipida & ferme tota inodora. Ea quae deinde, morbo paulo proiectiori, mittitur, colorem fundit flammeum, ruberrimum, pertinacem & acrimonia sua ad molestissimam stimulat micturitionem. In Nephritide calculosa,

uri-

urinosam vehit materiem & continuo, at inani, mingendi conatu, aegrum dies noctesque fatigat. Quandoquidem tandem, silente prorsus Renum actione, egeritur nulla & nata Ischuria vehementissimorum symptomatum agmen claudit.

§. XX.

Pervestigatis rite intellectisque Nephritidis causis atque effectibus; tota ejus facies indolesque ab omni parte sese nobis representat. Ergo & vera ipsius jam habetur Diagnoseos theoria, quae corpori aegro praesenti recte applicata, artem fallere nequit. Ut vero uno quasi intuitu scitu necessaria pateant signa; praecipua ex symptomatibus commemoratis (§. xviii, xix.) conferre paucisque complecti, operae pretium erit. Quod si quis genuina affectus est Nephritide, praegressa una alterave causarum (§. xii. ad xvii.); ille cum febri acutissima perpetuit ardorem, pulsationem & dolorem lumborum acerrimum, levari nescium atque quacunque decubitus & situs mutatione, nec non organorum respiratoriorum, & cum his conjuncta viscerum abdominalium agitatio ne violentiori gravescentem. Idem simul, sed mitior paulo & variabili sensu percurrit dorsum, abdomen, femora, inguina & testem unum alterumve, Reni morboso proximum. Naturalis porro urinae secretio multum perimitur, fluitque saltem sub ingressu morbi pauca, clara, pellucida, cruda, tenuissima, deinde saturatissime rubra, sed parca semper, iterato laboriose & anxie evanuenda, atque interdum plane nulla. Interveniunt his anxietates praecordiorum, ructus, anorexia, imo horror ciborum, vomendi conatus assidui & vomitiones creberrimae etiam a blandissimis haustis, tormina ventris, Colicae & Iliaca passiones, ac Diarrhaeae. In hoc miserando naturae statu demum torpida jacent, immobilia, & stupore oppressa, crura ambo, vel illud, quod loco affecto respondet. Cuncta haec phaenomena attente observata, causarum simul habita ratione, tam certo nobis Nephritidis praesentiam declarant, hanc ut facili negotio a morbis affinibus, Calculo Renum, Colica inflammatoria, passione Iliaca, Lumbagine Rheumatica, dolore Ischiatico & Nephriticico hysterico internoscere possimus. Ut praecipuas, quae differentiam illorum specificam constituunt, notas breviter recenseamus; Renes calculum gerere

testantur dolor hebes & gravatus, regione lumborum circumscriptus, allato stimulo potissimum motu corporis majori acerbior, urinaque arenulis & lapillis saepius onusta, aegro caeterum sat commode valente. Verum sedulo huic cavendum est, ne quem alicujus momenti errorem in rerum sex nonnaturalium usu admittat, quippe quo brevi obstructio in Nephritidem inflammatoriam convertitur. Ab hac discernitur Colica dolore a spina remotiori, per abdomen anterius magis diffuso, post assumpta oppido incrementante, nausea terribili, vomitu fere continuo, alvi pertinacissima saepe obstipatione, excretionequa libera urinae haud stranguliosae, sed turbidae, crassae & valde coloratae. His ipsis sese adhuc manifestius distinguit passio Iliaca, utpote quae altiorem tubi intestinalis partem in medio magis ventre collocatam prehendit, ideoque a Renum sede longius abest. Lumbaginis Rheumaticae & mali Coxarii vel Ischiatici dignotio haud difficulter a locorum conditione, tactu & aspectu petitur, misso symptomatum leniorum discrimine satis insigni. Quod Nephritidem hysterical tandem attinet, haec tum accessu suo, quam cursu & exitu, adeo longe a nostra recedit, ut a tyrone in praxi medica confundi nequeat.

§. XXI.

Tradita hactenus Nephritidis historia sola, quae adhuc huic adjicienda restat, prognosi generali integre absolvitur. In hac nobis ambiguum veluti certamen naturae cum morbo ejusque extum secundum vel sinistrum, ante oculos proponimus. De hoc in viscerum nostrorum inflammationibus ut plurimum esse metendum, ex eminentissimis, quae gerunt, vitae munis, in universum constat. Hac ex ratione nec Renum phlegmonem periculo vacare, argendum erit. Verum hoc, dum accidit, metiendum est 1°. causae allatae violentia & hac nata inflammatione majori vel minori (§. XII. ad XVI.); 2°. symptomatum vehementia, ex actionum plurium pauciorumve vitalium & naturalium perturbatione potissimumque ex urinae vel praepedita valde, vel inhibita prorsus, evacuatione aestimanda (§. XVIII. XIX.); 3°. illorum pertinacia & rebelli contra vim remediorum genio; 4°. aegri aetate proiectiori, infirmitate, & temperatura calidiori sicciorique; 5°. fre-

5º. frequentiori morbi ex calculo recursu; 6º. medicamentorum magis minusve convenienti administratione.

§. XXII.

Anceps ille Nephritidis exitus, qualis futurus sit, faustus vel funestus, distinctius percipietur, si triplicem communem inflammationis decursum in sanitatem, alium morbum & mortem expendamus. Primus Naturam nobis sistit victricem, malo debellato vel virtute propria sola, vel arte auxiliatrice accidente. Haec, qua morbus cedit, via Resolutionis dicitur, qua materies obstructionis superata vel humorum confortio restituatur, vel operosiori soluta modo, morbosae adhuc indolis, foras amandatur. Prioris eventus spes nobis elucescit ex naturali corporis aegri conditione a diathesi phlogistica acriori aliena. Ea se in solidis prodit molitie, flexilitate ab moderationi in actionem nisu atque in fluidis lenitate, gravitate justa, tenuitate mobilitateque. Hic Oecomiae nostrae status non finit exardescere nimium febrem inflammatoriam, sed hanc ita sustinet, ut impactum modo rite aggrediatur, atque submoveatur. Eo nunc faciliori hoc opere excludit, quo minus fortiter adactum compactumque pauciora obsidet vasa obsequiosioraque. Hinc plerumque perfecta ante septimum ab ingressu morbi diem vel in mitiori ante decimum quartum ex observatione practicorum consequi crisis solet. Haec ea ratione producitur, ut proxima Phlegmones causa materialis attenuata, fusa & cocta ex vasis renalibus successive prematur & excussa per fistulas Bellianas continuas (§. VIII. IX.) agatur & cum urina educatur. Haec, quae tunc vere critica est, redditur multa, crassa, ruffa, & sedimento gravi, spisso & albido obseissa. Auspicatus ejus fluxus pergit tam diu, donec omne inflammatum prorsus discussum exhaustumque fuerit. Eo tempore simul acria, quae exorta erant, symptomata paulatim levantur, abeunt cessantque demum omnia, sanitate integra redeunte. Ut nunc in aliis morbis inflammatorii, ita etiam in nostro natura semper actuosa, salutaribus evauationibus sibi saepe mederi optime novit. Inter has merito laudatur haemorrhoidalis, quam Melancholicis, Nephriticisque bonam esse Magnus Hippocrates nobis annotavit. Recentior Medicorum schola huic jure consentit, perspecta clarius excretionis illius

lius indole, qua multum sanguinis spissi, venosi, plus minus atri ex systemate circulatorio vitali expurgari solet. Hoc sic libere & largiter fluente, massa humorum statim minuitur & ea liberatur parte, qua Nephritis opprimi & gravari maxime posset. Verum praeterea cum eo successive mutetur circulationis impetus & ad inferiora adducatur; Renes minus infarciuntur, urgentur & a mole sua expeditius vindicantur. Non dubium est, quin opportuna uteri Haemorrhagia eosdem saluberrimos effectus edere queat.

§. XXIII.

Exposita paucis benigna Resolutionis forma (§. xxii.); haec quam egregie saluti respondeat aegri & gloriae artis, sponte liquet. Nulla certe hac utrique optabilior, nullaque praeclarior unquam accidere potest. Gravissima eo mitius feruntur mala; quo minus sunt longinqua & diurna. Nephritis ex natura inflammationis suae ad brevem adeo felicemque semper perduci finem nequit. Pertinacior quandoque, violentioribus nata ex causis, grandiorque mutata prorsus facie in suppurationem convertitur. Scilicet cum febris (§. xvii), memorato modo partem inflammatam amoliri nequit, saevior vim suam ad fabricam ejus solvendam intendit. Vasa infarcta tunc magis magisque distenta & extenuata, crescente tumore, demum rumpuntur, ita ut inter laceros ejus fines protrusa materies liquidis permista naturalibus, mollita, subacta, calore & motu vitali in pus coquatur. Actio haec, ut effectus testatur, intensa admodum, & fere hostilis, non nisi extremam sequitur necessitatem. Haec licet, occulta in se, sensus fugiat; ex certa tamen symptomatum, quae Nephritis profert, comparatione cognoscitur. Ea omnia, vel quidem quae sunt praecipua (§. xx), a principio ejus non solum vehementius insurgunt, sed insistunt pertinacius, nullis vel levanda vel abigenda remediis. Neque ulla, instante ordinario definitae criseos tempore (§. xxii), eoque elapso, sperandae vel factae resolutions indicia in urina vel alia mutatione sensibili apparent. Cruda, quae adest, inflammatio irresolutibilis manet maximisque urit cruciatibus aegrum, donec veram subeat suppurationem. Haec simul atque jam exoritur; morbus prior acutissimus in mitiorem quidem, at plerumque etiam lentiorem degenerat. Imminuta multum febri, aestus remittit &

do-

dolorem punctionum mollier excipit pulsatio. Distentissimi ante canales & modo disrupti, renituntur minus integris vividioresque oscillationes admittunt. Multae & vagae iis intercedunt horripulationes, quibus, ceu frigidula quadam aura, homo perfunditur. Tumor, qui persistit, durior adhuc pro magnitudine sua vel mole, gravitatis sensationem excitat cum stupore conjunctam (§. xviii). Interea ille dum sensim sensimque suppurrat, mollescit & in verum abit abscessum. Hic cum altius haereat, a visu remotus, non nisi pulsu, fervore loci pree aliis notabili & molesta distractione vel tensione, sese manifestat. Quodsi ille vicinis insidet lumbis, extra Renes, Nephritici quidem diuturnos dolores, sed mictus difficultatem non patiuntur.

§. XXIV.

Postquam ita Nephritis ad plenam perducta fuerit suppurationem; novum protinus abscessus tollendi negotium incidit. Hoc magis minusve arduum, citius tardiusve decurrere, ipsamque etiam vitam saepe prorsus absumere solet. Renes in omni sede sua, tam externa quam interna, majori minorive ambitu inflammari ac suppurrari possunt. Si quis eorum vomicam modo cepit parvam, nec nimis a tubulis excretoriis disjunctam ac seclusam, ille faciliter ab hac opera liberatur. Ea tunc, bene matura, pressa ac tempestive erupta, brevi suboriente dolore acriori & horrore, pus effundit, per meatus uriniferos continuo deferendo. Repurgata dein, detersa ac mundata, nova excrescente substantia & coalescente, paucos intra dies esse desinit. Verum contingere etiam potest, ut acrior, quae praecesserit, inflammatio abscessum complet, priori grandiore multo eminentioremque. Hic dum formato bene exitu se per inferiora exonerat, urina admodum crassa, inaequabilis, fetida atque putrida mittitur. Pus, quod huic admixtum est, copiosum, blandum alias & sanum, veram olet corruptionem. Haec ex longiori stagnatione ejus calore febrili & materiae urinosae affluxu nasci debuisse facile cognoscitur. Nondum tamen eo manante, omnis elabitur sanationis spes, nisi vires naturae simul diffluant, & viscus ex purulentia nimia tabescat. Haec vero in certam instituitur perniciem, si latius serpat, nec memoratum sibi aperire egressum possit. Eo casu funesto vo-

mica clausa extenso sensim cavo liquaminis purulentī forma totam fere Renum compagē confundit. Hi sic in saccos convertuntur duros & crassos, quos saepe in cadaveribus repertos fuisse, Observatores practici perhibent. Ex iis, quae communī fato trahi solet labes putrida, totam paulatim evertit crasis humorū (§. xix), & inducta tabe lentam parit mortem. Non minus tragicus est Nephritidis exitus, si facta exteriora versus vomicae ruptura, materia purulenta proxima lumborum regio inundetur. Haec ejus decubitu pressa, accidente rosione perpetua, sinuosis excavato ulceribus, quae quandoque medios efforant musculos & integumenta tandemque extus hiant. Innumera fere sunt, quae inde fluunt, mala, cum quibus hominem miserum ad vitae finem usque luctari oportet.

§. XXV.

In grege morborum, quos vera invehit Nephritis, annumerari etiam solet Scirrus. Hic in universum stricte examinatus, ex obstructionis concipitur tenacitate, nec Naturae nec Artis beneficio ac potestate superabili. Prava haec ejus indoles a materia dependet, quae vel fixa per se & nimis spissa, vel inflammationis vis coacta & indurata exterminari nequit. Ea sic pessimo sidere nata, motu febrili sensim torpente, tumorem conficit durum, indolentem, ponderosum, ac prorsus irresolubilem. Talem revera adesse, status Nephritidis praegressae ac praesentis clare docet. Haec nempe, nulla evacuatione critica soluta, nec puris fluxione devicta, gravissimorum symptomatum non longe a principio cessatione quasi inducias facere videtur. Sed non fallunt post effectus, quos Scirrus creat occultus atque deplorandi aegri miserrime perficiunt. Hi continuo conqueruntur de inerti quodam pondere, ex lumbis pendente, ceu corpore quodam plumbeo. Ad hoc accedit insensilitas immobilitasque cruris affecti lateris cum vacillatione pedis & claudicatione. Tumor Scirrosus major minorve, muscularis nervisque, ad has partes tendentibus, incumbit (§. iv), & pressione sua spirituum influxum impediendo paralysin excitat (§. xviii). Licet mala haec acerbissima sint; non possunt tamen, quin plura adhuc & exitiosiora concieant. Rene uno vel altero obstructo; ejus functio vel tota, vel ex parte, deficit, ideoque re-

requisita urinae copia non secernitur. Hinc, quae ab hac non satius purgatur, massa sanguinea, horribilem suscipit acrimoniam, qua incensa febri putrida tota machina torrescit (§. xix). Vel si Scirrus renalis in se spectetur, dum nobile occupat viscus, liberum humorum cursum sufflaminat atque incurabilem Hydropem inducit. Quod tandem his adjiciendum, ille & ansam praebet generationi calculi, posito veluti semine impacto quoconque, quod, urina alluente, particulas ex hac crassas alliciat secumque uniat.

§. XXVI.

In contemplatione Nephritidis nihil superest quam ut de mortifero ejus in Gangraenam transitu agatur. Hujus cognitio non adeo ad curationis, quam praesagii medici usum pertinet. Phaenomena, quae eam comitantur, ita sunt comparata, ut urgentis periculi ignoris errorem facile objicere possint. Nephritis instar omnium morborum inflammatoriorum dira semper & vehementia admodum concitat symptomata. Haec omnem prorsus modum excedunt, quando Gangraena imminet. Dolor, Febris, Aëstus, Anxietas, Vomitus, Vigiliae & plura increscunt successive & ad summum vehementiae gradum saepe pergunt. Nullum vel Medicina sagissime administrata his praestat levamentum, causa mali pertinacissime reluctante. Jactatum tot procellis corpus ac dirutum ultimo concidat oportet. Proxime quidem Ren inflammatus in cadaverosum quasi statum devenit. Infarcta ejus vasa, subito disrupta ac destrœta, omni nexu & actuositate vitali exuuntur. Materies infixa cum his liquidisque effusis in fetidissimam transit putrilaginem, quae vivas, quas attingit, partes, alias post alias funerat. Hinc oppido desaeviisse creditur Nephritis, extincto omni sensu, aegrum prius excrucianti. Sub fallaci hac requie vires omni momento occidunt, humorum circuitus minuitur, frigidus erumpit sudor, torositas vel turgescentia corporis abit, expallescit facies & motus convulsivi instantis mortis agunt praeludia. Interea, quae subinde redditur, urina tabo Gangraeno scatet. Tota turbidissima, livida vel prorsus nigra, intolerabilem spirat fetorem multasque continet fibrillas, carunculas fuscas & ramenta crassa, sponte subsidentia. Interdum nulla prorsus excernitur, secretionem

omni abolita & vitio ex uno organo in alterum traducto, ita ut ex utroque deperdito Ischuria necessario consequatur.


§. XXVII.

Ad finem assumtae tractationis pervenientibus paucis modo Ne-
phritidis curationem complecti visum fuit. Hanc diverso hujus sta-
tui accommodandam esse, sana Therapia docet. Quare in primo
medicinam eo dirigere oportet, ut inflammatio quantocvus tolla-
tur & ad felicem resolutionem provehatur. Tota huc spectat cu-
ra generalis antiphlogistica, quae omne fert punctum. Incipien-
dum hic erit cum Venae sectione, evacuatione omnium saluberrimi-
ma & medela saepe praesentissima. Detracto enim sanguine ve-
noso, imminuitur statim circumventum fluidorum moles & reli-
quis major quasi campus paratur, per quem liberius diffundi-
queant: Arteriosa praecipue, maxime coacta & impedita, sece-
dunt tunc facilis ex systemate suo in continuum venosum, magis
apertum. Unde viribus ejus motricibus modificatis levatisque,
cordi ab una parte maxime resistentia adimitur, & ab altera mi-
nor affluxus humorum redditur, ad quem tota ejus actio egregie
attemperatur. Hinc necessario impetus febriis mitescere, inflam-
matum minus urgeri & impactum mollitiem suam mobilitatemque
solet servare, qua in fluorem pristinum expeditius deduci possit. In
hoc negotio, quo ars naturam antecellit, semper ante oculos ver-
sari debet aegri praesentis conditio. Haec si juvenilis aetatis, tem-
periei calidae, sanguineae, indolisque Plethorae sit, morbo mul-
tum saeviente, venam iterato aperiri indicat. Ea, quae medica-
mentorum nomine usurpantur, sunt diluentia omnia, aquosa, blan-
da & leniter incidentia. Haec nobis praebent herbae sic dictae e-
mollientes, lactescentes, saponaceae & radices similes mucilagi-
neae, subnitrosae, aperientesque. Eadem fini inserviunt farinosa-
mitissima, suboleosa, quae benigna Ceres abunde largitur. Haec
pro usu interno forma decoctionis, infusionis, emulsionis & Jula-
pii convenientissime exhibentur. Talia nunc vehiculo aquoso ex-
cepta mitioribus salibus neutris imbuta & affatim hausta massam
humorum mitificant, diluunt, resolvunt, tenacitatem phlogisti-
cam attenuant, fibras tensas relaxant, dolorem demulcent & mo-
tus inflammatorios compescunt. Non minus his conferunt Ep-

themata fluida, Cataplasma, Balneaque ex laudatis composita & Iumbis calide admovenda. Haec tam calore suo, quam aquositate mobili, facile resorbenda ad interiora apte penetrant, humectant, leniunt, fovent & effectus praestant, Pharmacis assumptis eximie congruentes. Neque parum se commendant virtute sua cucurbitulae parti affectae vel vicinis appositae. Hae, ablata pressione Atmosphaerae, efficiunt, ut vasa extrema praecipue arteriosa, fluidis minus obsistant influentibus, quae, ea opportunitate copiosius advecta, tanquam ad novum motus centrum feruntur. Hinc illa, continuo ad organum cutaneum revocata, ex lege naturae a visceribus uropoieticis rursum avertuntur, ita ut his noxiā adeo impressionem facere nequeant. Haec & similia, Revellentia dicta, licet non proxime, nec directe in causam morbi agant; non levet tamen, nec spernendum praebent auxilium. Interea, his omnibus ita dispositis, sedulo curari debet, ut alyus crebro ducatur. In hunc finem adhiberi possunt lenia quaevi Eccoprotica atque praeprimis Enemata illa laudatissima, quae ex herbis emollientibus conficiuntur. Haec eo magis prodeesse solent; quo citius levant intestina submoventque materiam, Nephriticis saepenumero valde exitialem (§. xv.). Ipsa quoque relaxationis specie, quam illis inducit, detrahit liquida inferiora versus & blando fotu subjectos Renes reficit. Proposita medendi methodus nisi omnia, praecipuatamen, curationis momenta comprehendit & absolvit. Haec si curate medicus exsequatur, Nephritidem ullo modo resolubilem, felicissime expellere poterit. Cavendum autem est, ne perversum vitae regimen speratum frustretur successum & remoretur. Oportet, quod in universum notandum, illud ita instituatur, ut proxime ad medicaminum laudatorum vim accedat. Necesse ergo erit, ut aeger frigidiusculo, puro & bene temperato aëre semper utatur. Cibus ejus atque potus sit simplex, facile solubilis, tenuis, ex supra memoratis vegetabilibus commode parandus. Ejusmodi vietus, corpori valde amicus, vires levissime sustentat & in urinam transit multam, benignam & vere medicatam. Praeterea nihil magis expedit, quam omnem turbulentam animi agitationem & jactationem corporis quam studiosissime fugere. Haec uti sola morbum progenerat (§. xii.); ita & eundem mirifice exacerbare valet. Systema utrumque arteriosum & nervosum satis graviter laborant, adeo ut majorem concussionem sine summo periculo to-

lerare nequeant. Ut vero aegrotus ad quietem recte componatur, opus habet lecto in tranquilliori domus parte molliter strato & moderate calido. Decubitus prae aliis in latera convenit, utpote placidissimus & partibus affectis maxime accommodus (§. xv.). Quod si remediis his selectissimis malum non auscultat, periculofiores suos ad exitus tendit. Ea, quae in his tenenda, curationis ratio, generales modo sequitur indicationes, ex Therapia rationali cognitas & ad scopum praesentem facile applicandas.

F I N I S.



E R R A T A.

Pag. 4. lin. 29.	obaesis	<i>lege</i>	obesis.
— 5. —	8. succentureati	—	succenturiati.
— 6. —	9. globra	—	glabra.
	fatu	—	fetu.
— 7. —	3. statum	—	statim.

A N-

A N N E X A.

I.

*Calor vitalis non semper circulationis velocitatem
aequat.*

II.

*Plethora systematis venosi absque redundatione ar-
teriosi obtinet.*

III.

*Graviores obstructiones ex natura sua non abso-
lute inflammationes inferunt.*

IV.

*Calculi materies prima, nec in Renibus, nec in Ve-
sica urinaria generatur.*

V.

*Praesagia, quae ex sola urinae inspectione in mor-
bis petuntur, vehementer fallunt.*

VI.

A X T V I V A


*Urina corporis feminini sana, in virili quandoque
morbosa recte judicatur.*

VII.

*Omnis urina ex Renibus, ut secretionis fontibus,
solis manat.*

VIII.

*Vesicatoriorum usus in aliis morbis inflammatoriis
tutior, quam in Nephritide, esse solet.*



V

*Praecellentia, dum ex locis
varii dependent, et leviter*

IV